





*G. 20. num. 18. C. 17.*

1745, 8

A3

# NOTIONEM IVRIDICAM MORAE

INCLVTI  
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

IN

VNIVERSITATE GEORGIA AVGSTA

PVLICE DEFENDENT

PRAESES

CHRISTIAN. FRID. GEORG.  
MEISTERVS D.

ET

IOANNES HENRICVS HAVWELMEYER

HAME.

AVCTOR RESPONDENS

CLOCC XXXXV. DIE IV. DECEMBRIS.



KÖNFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

GOTTINGAE  
TYPIS IOANN. FRIDER. HAGERI,



VIRO

ILLVSTRI, CONSVLTISSIMO

AMPLISSIMO DOCTISSIMOQVE

LVCAE DE SPRECKELSEN

IURIS VTRIVSQUE DOCTORI CELEBERRIMO

S. R. IMPERII REIPUBLICAE

HAMBVRGENSIS SENATORI

GRAVISSIMO PRUDENTISSIMO

AVVNCVLO SVO AETATEM

COLENDO

FELICITATEM ADPRECATVR

PERPETVAM

ET

NOTIONEM MORAE IVRIDICAM  
PRIMITIAS ACADEMICAS  
ANIMI GRATI AC OBSERVANTIAE  
NUNQVAM INTER MORITVRAE SIGNVM  
CONSECRAT

I P S I V S

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS  
IOANNES HENRICVS HAVWELMEYER.



### §. I.

**Q**ui de mora, quorum magnus est numerus *a)* scripserunt, id imprimis egerunt, ut morae effectus & purgatio ostendantur; notione morae ipsa plerumque in obscuritate relata. Cum autem sit e Jurisprudentia, vt reuocetur ad sua principia Ius Ciuite Romanum, *b)* nostrum hunc laborem, quo defi-

- a)* In his memorandi sunt HENRICVS COCCEIVS de Mora, Heidelb. 1685. IOH. OTTO TABOR de Mora Argent. 1639. 4. ALEX. KIRCHMANN de Mora ibidem 1648. 4. HENRICVS HAHNIVS de Mora Helmst. 1650. 4. IOH. GEORG. ERHARD de Eadem Basileae 1676. THOMAS STOLLEY de eadem ibidem 1685. 4. POLYC. WIRTH.

*de generibus morae Lipsiae*  
1640. 4. VALENT. RIEMER  
*Anatomia Tractatus de Mora eximii &c.* 1630. VALENT.  
SWAENIVS de Mora Tractati ad Rb. 1709. 4. SAMUEL STRYCKIVS de purgat. Morae Francos. 1691. aliquie.

- b)* Id quod agnouit inter alios  
B. HEINECCIVS in praef.  
ad Elem. I. C. sec. Ord. ff.

A

◊ ) 2 ( ◊

definitio morae iusta traditur, indeque per conclusio-  
nes pronas fines morae a multis confusi, reguntur,  
non omni destitutum iri fructu, est quod speramus.

§. II.

Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re,  
institutio, debet a definitione proficiendi, ut intelliga-  
tur, quid sit id, de quo disputatur. c) Reprehendit  
ur itaque merito a Cicerone Panaetius ille Philo-  
sophus Stoicus, qui de officiis scribens, eorum defini-  
tionem praetermisserat.

§. III.

Definitio est oratio, qua significatur notio com-  
pleta atque determinata termino cuidam respondens.  
d) Cui quia aliae etiam notiones saepe respondent, ad  
definitionem eo melius intelligendam, ante eam re-  
liquas notiones indicasse atque deinde remouisse, iu-  
vat. Quia vero id interdum ope Etymologiae simul  
fieri commodissime potest; sequitur, & hanc inter-  
dum definitioni praemittendam esse.

§. IV.

Termino *Morae* praeter notionem Iuridicam a-  
liae notiones quoque respondent, quae auxilio Ety-  
molo-

•) CICERO de Officiis L. i. d) L. B. de w o l f. in Lo-  
G. 2. gica §. 252.

◊ ) 3 ( ◊

mologiae clariores fieri, optimeque distingui possunt.  
Ergo definitioni morae praemittenda est tractatio de  
multiplici morae significatu, & de eius Etymologia  
(§. III.).

§. V.

Definitione significatur notio completa & deter-  
minata (§. III.). Ergo in definitionibus vtendum  
est terminis claris non obscuris. e) Ergo quando de-  
finitionem ingrediuntur Termini, qui in proprio si-  
gnificatu non sumuntur, sunt illi ante definitionem  
explicandi. Termini in definitione Morae in sensu  
improprio sumuntur, ergo illi sunt ante eam decla-  
randi.

§. VI.

*Mora* descendit a *morari*, quod est retardare.  
Ita sane vtitur verbo *morari* CICERO, f) cum id  
coniungit cum *belli celeritate*. *Detinere*, quo illa  
solemnis formula: *Nihil vos moramur Patres.* (g)  
*Cundari, & differre.* OVIDIUS canit h):

A 2

*Verba*

e) Idem l. c. §. 163.

b) Epist. XIX. Cf. quoque L. 9.

f) Philip. V. IX. vide etiam

D. de verbor. Oblig. L. 7.

I. 85. D. de Reg. Iur. & L. 5,

C. de his qui accus. non poss.

D. vt Legato.

ERHARDI Diff. de Mora

g) CAPITOLINVS in Anton.

Thes. IV.

Philos. C. X.

*Verba dat omnis amans reperitque alimenta  
morando.*

Est & alius huius vocis significatus plane specialis, idemque denotans quod est curare, laborare, in quo intelligenda sunt verba apud HORATIVM i):

in hora semper ducentos  
ut magnum, versus dictabat stans pede in uno  
cum flueret lutulentus erat, quod tollere velles,  
garrulus atque piger scribendi ferre laborem,  
scribendi recte: *Nam ut multum, nil moror. Ecce!*  
a quo vocis morari sensu certe alienus est tertius ille,  
quo morari est habitare versari cum aliquo aut in aliquo loco. Ut sicco pede praeteream reliquos Romanos, qui in hoc conspirant Auctores, k) excerptam quaedam e legibus Romanis, quae huic verbo eundem dederunt significatum, loca. PAVLVS itaque in L. V. Quaestionum l) sic ait: *Titius seruum vendidit ea lege, ut si Romae moratus esset, manus inidere liceret, emtor alii eadem lege vendidit, seruus fugit a secundo emtore, & Romae moratur, quaero, an sit manus*

i) Libro I. Sat. IV. & Epist. XV. v. 16. LIVIUS L. III. C. LIV. & L. IV. C. XLII. FABER hac voce.

A) SVETONIUS in Nerone C. XXXIII. CICERO ad fa-

mil. XII. Ep. 15. SENECA Epist. 2. 32. & 36. HORATIVS L. II. Satyra 7. v. 112. CORN. NEP. XXIV. 2. I.

l) l. 9. D. de serv. export.

*manus inie<sup>c</sup>tio & cui? Respondi, in fugituo non est dubitandum, nihil contra legem factum videri, quia nec domino auferre, nec qui in fuga est ibi moratur &c.*  
*SCAEVOLA Lib. IV. Respons. m): Imperator Antoninus Pius libertae sextiae Basiliae quamvis verba testamenti ita se habeant, ut quoad cum Claudio Iusto morati essetis, alimenta & vestiarium legata sint: tamen hanc fuisse defunctae cogitationem interpretor, ut & post mortem Iusti eadem vobis praestari veluerit, respondit, eiusmodi scripturam ita accipi, ut necessitas alimentis praestans perpetuo maneat. Item consultus, de tali scriptura:*  
*ET TECVM SINT SEMPER VOLO, quaero, cum manumissi ab herede, cum eo morati diu sint &c. Ita quoque studiosi, qui studiorum causa in aliquo loco versantur morari dicuntur ab imperatore ALEXANDRO n). Serui, ut scribit MARCIANVS o) exportandi, si venierint ab italia, in prouincia morari possunt, nisi specialiter prohibitum fuerit: Restat & quartus vocis morari significatus, qui est idem, quod delectari de quo vide, si lubet FABRVM in Thesauro, erud. schol. edit. Gesnerianae. voce: morari.*

## A 3.

## §. VII.

- m) l. 13. D. de alim. Legatis. rici Hahni diff. de mora §. X.  
 indicem locupletem scripto- n) L. 2. Cod. de Incol. & vbi  
 rum qui verbo morari hoc quis domic.  
 modo vñi sunt, habes in Hen- o) L. 2. D. de Seruis export.

◊ ) 6 ( ◊

§. VII.

Mora improprie significat apud veteres portionem seu partem exercitus Lacedaemoniorum, nimirum quingentorum *p*) vel septingentorum *q*) noningentorum *r*), imo ut volunt alii, trecentorum *s*) militum cohortem, a verbo graeco: μέρα siue μοίρα *t*). Cuius quidem significatus exemplum proferam ex CORNELIO NEPOTE *u*), qui cum IPHICRATIS magnas in bello res gestas praedicat, inter eas refert etiam, quod exercitu suo Lacedaemoniorum moram interceperit, quod sit maxime tota Graecia celebratum.

§. VIII.

Elegantiae dictionis causa *mora* quoque est ipse homo, qui cunctatur aut impedimento est alicui. Quem in modum *mora* vtitur *Perolla* in responsione patri lacrymanti Calauio exoptatissima solatiique plenissimi-

*p) DIODORVS L. XV.*

*q) Conf. FABRI thesaur. voce: mora.*

*r) Ut docet, STOLLEY de mora thes. I. & CHRISTOPHORVS CELLARIUS ad Corn. Nep. XI. 2. n. 3.*

*s) STOLLEY l.c.*

*t) ita PLUTARCHVS: περὶ u) In Iphicrate §. 3.*

Δεκαπον ΙΦΙΚΡΑΤΗΣ ΠΑΤΕΚΟΠΤΙ  
Τε τὴν λακεδαιμονιῶν μοίραν.  
Conf. CELLAR. l. c. Et  
DIODOR. l. c. τὴν δὲ μοίραν αναπληρέσταν αὐθερες πεντακότισι. vide plur. si placet  
in EABRO b. v.

\*) 7 (\*)

nissima x): Ego quidem, quam patriae debo pietatem, exsoluam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditae patriae sustinendum est crimen: semel cum defectionem iniisti ab Romanis, iterum cum pacis cum Annibale fui- sti auctor; tertio hodie cum restituendae Romanis Capuae mora atque impedimentum tu es. O patria, fer- rum, quo pro te armatus hancce arcem defendere vole- bam, hosti minime parcens, quando parens extorquet, recipe.

§. IX.

Tertio mora est dilatio, cunctatio, cessatio & qua- libet procrastinatio; quae significatio auctoritate non modo, veterum scriptorum y), verum etiam ma- gni legum numeri z) nititur.

§. X.

x) Liv. L. XXIII. cap. IX.

D. ad Leg. Falcid. L. 21. D. de  
Vsur. & fruct. L. 5. D. de  
Reb. Cred. L. 23. D. Quibus  
ex caus. maj. 25. ann. L. 88.  
D. de Rer. Diut. L. 91. §. 3.  
ff. de V. O. conf. quoque RIE-  
MERI diff. anat. tractat. de  
mora exim. thes. I. Spectant  
porro huc L. 15. princ. ff. vt  
Legat. L. 51. D. de Pecul. L. 1.  
ff. de Tut. vel Curat. & §. 3.  
Inst. de Off. Iud. nec non L. 7.  
C. de His qui accus. non poss.

y) OVID. Remed. amor. L. I.

VIRGILII Eclog. III. TA-  
CIT. Annal. L. XII. c. XX.  
HORAT. Carm. L. II. Od.  
XIV. TERENT. Andr. V.  
6. 7. CIC. pro Caecin. C. II.  
LIV. Lib. XXXI. c. XXXII.  
SENECA de Ira L. III.  
cap. 39.

z) L. 21. D. de Iudiciis L. 8. D.  
de Collat. bon. L. I. §. 8. D.

## §. X.

Id, ad quod actiones nostras componimus, affectionum nostrarum normam seu regulam appellamus. Quae norma quando praescribitur a legislatore nomen legis accipit. Ergo lex est norma actionum nostrarum a legislatore praescripta. Soluere est nomen generale, & complectitur omnem satisfactionem omnemque praestationem quae fit alteri. Ergo solutio est satisfactione vel praestatio quae fit alteri a). Necesitas legis, solutionis facienda, dicitur obligatio. b) Solutio ipsa, ad quam obligamur nobis vocatur debitum. c) Ille qui ad solutionem obligatur, debitor, & ille cui solutionem debitor praestat, creditor appellatur.

## §. XI.

Cessatio debiti est intermissione debiti. Hinc PAV-  
LVS ICtus in libro singulari de usuris ita scripsérat  
d): cum quidam cauisset, se quotannis quincunces usu-  
ras

- a) L. 175. § 176. D. de Verb.  
Signif.
  - b) L. 3. & L. 51. ff. de O. & A.  
conf. HEINECC. in Elem.  
Iur. Civ. sec. ord. Pand. b. t.  
§. 380. vid. omnino pr. Inst.  
de obligat.
  - c) L. 10. D. D. de V. S. L. 178.  
D. cod. Inde actio quoque
  - d) L. 17. pr. D. de usur. & fru-  
tibus.
- definitur ius persequendi in  
iudicio, quod sibi debetur pr.  
Inst. de Actionibus. HVGO  
GROTIUS de I. B. & P.  
Lib. 2. c. 7. §. 4. BACHOV  
de Actionibus d. 1. thes. 46. §.  
HAHN de mora §. 17.

ras praefiturum, & si, quo anno non soluisset, tunc totius pecuniae, ex die, qua mutuatus est, semisses solutum, & redditis per aliquot annos usuris, mox stipulatio commissa esset: Diuus Marcus Fortunato ita rescripsit: praesidem prouinciae adi, qui stipulationem de cuius iniuitate questus es, ad modum iustae exactioonis rediget; Haec constitutio adfinitum modum excedit. Quid ergo? sic temperanda res est, ut in futurum duntaxat ex die cessationis crescat usura. Pari ratione, dicente VLPIANO e) curator operum creatus, prescriptione motus ab excusatione perferenda; sicuti cessationis nomine, in qua, quoad viuit, moratus est, heredes suos obligatos reliquit; ita temporis, quod post mortem eius cessit, nullo onere eos obstrinxit. Qua ex causa ab eodem VLPIANO deciditur f): tutorem, ex quo scit, se tutorem datum, si cesset, i.e. intermittat officium suum, suo periculo cessare eundem. Omitto reliqua, in quibus g) eadem notio respondet cessationis termino, in iure nostro, loca.

## §. XII.

Cessatio itaque in genere latissime patet adeoque omnes omnino intermissiones debiti comprehendit.

## Restricta

e) L. i. pr. D. de Operibus publicis. g) Vti sunt L. 17. ff. de Adm.

f) L. i. §. i. D. de Admin. & peric. Tut. L. 4. D.

B

Restricta cessatione debiti, ad tempus a legibus praescriptum & comprobatum, seu legitimum, cessatione debiti est in tempore legitimo, quae, dilatio debiti vocatur. Ergo dilatio debiti consistit in cessatione debiti in tempore legitimo b).

### §. XIII.

Quod fit culpa vel dolo in alterius damnum, illud, non iure fieri, nobis est i). Quod non iure fit, est iniustum. Ergo dilatio quae fit non iure, est idem, quod dilatio iniusta. Quia vero in materia dilationis frustratorum idem est, quod iniustum k), sequitur, quod dilatio frustratoria fit, quae fit non iure.

### §. XIV.

Mora est dilatio frustratoria debiti I).

### §. XV.

b) L. 21. D. de' V. & F. L. 32.  
D. eod. L. 39. ff. de Solut.  
adde STRYKIVM de pur-  
gatione morae Cap. I. §. 3.  
p. 7.

i) §. 3. & 4. Instit. de Lege A-  
quilia.

k) L. 3. D. de Iudiciis L. 37.  
D. Mand. L. 21. 22. 23. 24.  
D. de Vfur. & fruct. adi quo-  
que THOMAM STOLLEY

de Mora thef. 2. & STRY-  
KIVM de purg. morae Cap. I.  
§. 4. p. 7. nec non SWAE-  
NIVM de mora Cap. I.  
§. VIII.

I) Notentur hic prae caetetis  
L. III. §. vlt. L. 17. §. 3. L. 21.  
L. 32. L. 37. D. de V. & F.  
item L. 5. ff. de Minor. XXV.  
annis L. 3. D. de A. L.

Φ ) II ( Φ

§. XV.

Debitum est solutio (§. X.). Cum vero solutio nobis sit quaeviis satisfactio quae fit alteri (§. X.), constat, satisfactiones, quae nobis fiunt a nobismet- ipsis, in debitum non venire. In mora esse debet debitum. Ergo in officiis erga nosmetipos mora locum non habet. Ergo contra nos ipfos moram non committimus.

§. XVI.

Verbis: *contra nosmetipos moram non committimus*, idem dicitur quod propositione hac: *dilatio fru- stratoria officiorum erga nosmetipos ad moram non spe- ctat*. Ergo in mora constituto ex sua mora damnum oriri, adeoque mora agi posse contra officia erga nos ipfos, non negamus. Moram itaque erga se ipsum non committi posse, & simul mora agi contra officia erga se ipsum, contradictionem non inuoluit.

§. XVII.

Mora supponit debitum (§. XIV.). Cessante igitur debito, cessat mora. Ergo vbi peti nihil potest ab altero <sup>m)</sup> ibi mora impossibilis est. Ergo in officiis humanitatis mora locum non inuenit. Debi-

B 2 tum

<sup>m)</sup> L. 127. ff. de Verb. Oblig. & L. 88. D. de R. I. L. 40,  
D. de Reb. Cred.

tum est solutio ad quam obligamur (§. X.), obligatio autem est necessitas legis, alicuius rei soluendae (§. X.) quae deficit in officiis humanitatis. Mora igitur in officiis humanitatis fieri nequit.

## §. XVIII.

Debitum est solutio, ad quam obligamur (§. X.). Obligamur vero non modo ex pacto & contractu sed etiam ex delicto. Ergo mora esse potest, unde cunque etiam debitum descendat. Ergo committi ea potest in debito 1) ex *pactis* 2) *contractibus*, veris & quasi, nominatis & innominatis stricti iuris *n*) & bonae fidei; velut: emtione venditione *o*), mando-*t*o *p*), tutelae administratione *q*) negotiorum gestio-*n*e *r*), 3) *delictis* e.gr. furto *s*), abigeatu *t*), violen-*ta* possessione *u*), conuersione alienae pecuniae in proprios usus *x*) dolo malo, quo quis possidere de-*s*tit *y*).

## §. XIX.

- |   |   |
|---|---|
| <i>n</i> ) HAHN de mora §. 28.  | <i>s</i> ) l. 8. §. 1. D. de Cond. fur-<br>tiua.  |
| <i>o</i> ) L. 5. L. 13. C. de Action.<br>Emt. Vend. L. 13. D. eod.<br>I. 2. C. de Usur. I. 16. D.<br>eod. | <i>t</i> ) l. 7. C. de cond. ob turp.<br>caus.  |
| <i>p</i> ) l. 12. ff. Mand. l. 46. ff. Pro<br>Socio.  | <i>u</i> ) l. 19. D. de Vi & Vi arm.  |
| <i>q</i> ) l. 7. D. de A. & P. T. l. 3.<br>§. 4. ff. de Cont. Tut. act.                                   | <i>x</i> ) l. 10. Mand. l. 7. & 58. D.<br>de Adm. & Per. Tut. l. 60.<br>D. pro socio.   |
| <i>r</i> ) l. 19. 31. 37. D. de N. G.<br>conf. HAHN l. c. §. 28.  | <i>y</i> ) l. 23. 88. 91. D. de Verb.<br>Oblig. l. 32. D. de Usur.<br>HAHN l. c. §. 29. |

## Φ ) 13 ( Φ

## §. XIX.

Debitum est solutio ad quam obligamur (§. X. & XVIII) quoniam autem solutio quamlibet complectitur satisfactionem quae alteri fit (§. X.) sequitur debitum comprehendere omnem satisfactionem alteri quae fit, ad quam obligamur. Acceptatio interdum est satisfactio, quae fit alteri, ad quam obligamur z). Hinc acceptatio interdum est debitum.

## §. XX.

Si acceptatio est debitum, quando ad eam obligamur (§. XIX.) seu quando alter nos ad eam cogere potest (§. XVII.); patet, quando ad eam non obligamur, acceptationem non esse debitum. Ad acceptationem non obligamur 1) si res in obligationem deducta non ipsa a) sed aliud quid offeratur ab altero, 2) si non totum offeratur b) nec cum c) usufrui; 3) si oblatio non fiat debito d) tempore vel loco 4) si neque ipsi creditor i neque ei, qui creditoris loco est e) offeratur; Ergo in his casibus acceptatio debitum non est.

## B 3

## §. XXI.

- z) Conf. STOLLEY de mora b) l. 4. D. de stat. Lib. l. 13.  
th. 2. 8. D. de Act. Emt.
- a) l. 6. & 19. C. de Vfur. l. 9. c) conf. HAHN l. c. §. 50.  
C. de Solut. l. 2. §. 1. D. de d) idem l. c. §. 51.  
R. C. e) l. 6. & 19. C. de Vfur.

## §. XXI.

Acceptatio interdum debitum est (§. XIX.). Ergo in acceptatione interdum mora esse potest f). Ex quibus consequitur, moram recte diuidi in moram dandi & accipiendo, recteque tam creditor i quam debitori a Doctoribus tribui.

## §. XXII.

Vbi peti ab altero nihil potest, (nempe cum effectu) ibi mora est impossibilis (§. XVII.). Ergo mora non est in eo, qui legitima se tueri exceptione potest g). Vnde simul liquet, cur mora non committatur ratione solutionis, quam alter sibi a nobis fieri debere ait, cum ea non sit liquida; aut si facta sit compensatio, aut si aduersarius contractum non admpleuerit, & quae sunt eiusmodi plura.

## §. XXIII.

Dilatio in mora est frustratoria. Ergo requiriatur ut dilatio sit cum dolo vel culpa & alterius damno coniuncta (§. XIII.). Quae cum ad dilationem in mora requirantur coniunctim, tuta est conclusio; dilata-

f) l. 32. pr. D. de Vfur. l. 72.  
pr. D. de Solut. l. 37. D. Mand.  
l. 17. D. de per. & commod.

rei vend. l. 89. de Solut &  
Liberat.  
g) C. 60. d. R. l. in 6. conf.  
ERHARD de mora §. 22.

dilatōne vno alteroē ex his requisitis deſtituta, moram non dari.

### §. XXIV.

Quoniam deficiente in dilatōne culpa adeoque non minus dolo, non datur mora (§. XXIII.); facile conſtat, cur in mora non verſentur, qui iuſtam diſferendae ſolutionis cauſam habent *b*). Vnde porro rationem ſcimus, propter quam non ſint in mora, qui caſū fortuito aut vi coguntur ad diſferendam ſolutionem *i*) qui ſunt conſtituti in ignorantia facti alieni *k*), heres, cui fideicommissum praefandū pupillo relictum, volens praefare illud, & eius ſolutionem ob defectum tutoris diſferre coactus *l*); puſillus iuſto tempore non ſoluens *m*); ii), quibus tempi ſoluendi angustum nimis eſt ſtatutum *n*); qui a principe indulta conſecuti ſunt moratoria, quamdiu durant illa *o*); qui bona fide ad iudicium prouocant *p*), illi quibus ſolutio obſcure oblata eſt *q*) ei, qui ſolute-

*b*) I. 21. & 22. D. de vſuris.

*e*) MENOCHIUS Conf. 132.

*i*) I. 23. D. cod.

*n*. 28. & STRYK de purgat.

*k*) I. 42. D. de R. I.

morae c. I. §. 4.

*l*) SWAEN de mora p. 4. §. 9.

*p*) I. 63. D. de R. I. ERHARD.

*m*) vid. ERHARD. de mora

I. c. §. 23.

§. 20. sq.

*q*) I. 6. & 19. C. de Vſur. HAHN

*n*) I. 58. §. 1. D. Locat. & L. 12.

de mora §. 53.

§. 1, ff. de Legat. I.

soluere volentes a creditoribus sine iusta causa acceptationem oblatae solutionis impetrare nequeunt r).

### §. XXV.

Dolus vel culpa debitoris, & damnum creditoris, in mora sunt inseparabilia (§. XXIII.). Carente igitur dilatatione debiti dolo malo vel culpa dilatio non est mora (§. XXIV.). Ergo cessante damno creditoris in dilatatione, mora quoque non datur. Ergo dilatio cum culpa vel dolo debitoris, & sine damno creditoris non est mora. Ergo dilatio sine dolo vel culpa debitoris & cum damno creditoris non est mora. Ergo dilatio sine dolo vel culpa debitoris & sine damno creditoris mora non est.

### §. XXVI.

Mora sine damno creditoris non datur (§. XXV.). Ex quo fluit, quod si debitor mille florenos misnicos mutuo a Titio acceptos, quorum usurpas dederat singulis annis, duobus mensibus post solutionis tempus dernum restitueret mille florenos misnicos, docens, valorem florenorum misnicorum auctum intra dilatationis spatium ita esse, ut cum usuris, quas per duos menses huius summae creditor Titius expectare unquam potuisset, compensari valoris augmentum possit; quod, inquam debitor in mora non fuerit. Nec

minus

r) ERHARD l. c. §. 22.

minus iam clarum est, quod & ille debitor, qui centum florenos mutuo sumtos, quorum usuras dederat centesimas adeoque illicitas, dimidio anno post temporis legitimi decursum, restituit, neutquam in mora sit constitutus.

§. XXVII.

Dilatio debiti cum dolo vel culpa debitoris & sine damno creditoris, non est mora (§. XXV.). Igitur debitor, licet solutionem procrastinauerit animo creditori nocensi, dolo hocce, effectu destituto, morae reus tamen non est. Quia de causa fit, ut nec de eo debitore mora possit dici, qui laedendi creditoris causa, modico tempore s) post solutionis terminum restituens pecuniam creditam, audit creditorem dicentem; se nouam occasionem elocandi hanc pecuniam inuenire nondum potuisse, adeoque sibi in mentem venire interdum subuereri, ne pecunia haec otiosa sibi & inutilis iaceat in posterum. Quoniam certum est, dolum vel culpm in dilatione debiti creditori non damnosam, moram quoque non facere; magis sane certum est, dilatione dolosa, quae contra voluntatem debitoris, creditori, euentu fit luero, eo minus moram constitui. Finge ergo, Titium Caio, qui est in alia prouincia, gregem ouuum vendidisse,

&amp;

s) vid. ERHARDVM de mora §. XXII.

C

& vexandi causa gregem quosdam per menses post legitimum traditionis tempus apud se tenuisse, deinde vero accidisse, vt tradens tandem Caio gregem audiret, per totum illud temporis spatium, quod excurrit traditionis tempus iustum, luem inter oves per totam Caii prouinciam esse grassatam, consumisse omnes eius prouinciae ouum greges, paucosque ante dies remisisse penitus. Quaeritur an dilatio Titii sit mora? Et per ea, quae demonstrata sunt, puto non esse.

### §. XXVIII.

Dilatio debiti sine dolo vel culpa debitoris & cum damno creditoris, non est mora (§. XXV.). Ergo dilatio debiri, cuius causa est captiuitas debitoris apud hostes *t*) licet ea creditori damno sit maximo, tamen mora non est.

### §. XXIX.

Cum debitum sit solutio ad quam obligamur (§. X.) solutio vero quamvis complectatur satisfactio nem, quae fit alteri, (§. X.) sequitur, tempus solutionis esse; in quo satisfactio alteri praestatur. Accedente legis dispositione ad tempus solutionis tempus nobis appellatur debiti legitimum (§. XII.). Inde concluditur, quod tempus debiti legitimum sit, in quo praestatio alteri facienda praescribitur a lege.

### §. XXX.

*t*) l. 23. D. de Vfur. & Fruct.

## §. XXX.

Quia mora est dilatio debiti (§. XIV.) & haec, cessatio satisfactionis alteri praestandae in tempore (§. XII.); cessatio autem quamlibet intermissionem inuoluit; consequitur, moram in intermissione satisfactionis alteri praestandae & quidem eo tempore, quod leges praescriperunt, sitam esse. Ex quibus fluit, ne concipi moram quidem posse, nisi concipiatur simul quoque tempus, quo praestari debere satisfactionem alteri, leges constituant. Ergo extincta satisfactione, ante tempus praestationis intermissione satisfactionis iusto tempore, concipi quoque nequit. Hinc de debitore soluente, creditori volenti, ante tempus solutionis, mora quoque concipi nequit.

## §. XXXI.

Tempus debiti legitimum est, quo lex praestationi satisfactionis alteri debitae praescripsit (§. XXIX.). Ergo ubi lex expressis verbis tempus debiti determinat, ibi tempus hoc erit tempus debiti legitimum.

## §. XXXII.

Cum vero non solum naturalis ratio verum etiam leges humanae praecipient, ut feruentur pacta, quae vitium non habent, praecipit omnino lex quoque praestationem eorum, quae consensu paciscen-

C 2 *tempus debiti legitimum*

tium promissa & constituta sunt. Ex quo concluditur, tempus, quod consensu paciscentium solutioni statutum est, a legibus praecipi. Ergo tempus debiti per conuentione*m*em constitutum est tempus debiti legitimum.

#### §. XXXIII.

Tempus solutionis per conuentione*m*em determinarum est tempus debiti legitimum (§. XXII.). Dantur vero conuentiones, quarum natura tempus solutionis fine vleriori paciscentium stipulatione, iam determinat. Vnde consequitur, tempus solutionis per naturam conuentione*m*em determinatum esse tempus debiti legitimum.

#### §. XXXIV.

Tempus solutionis, quod leges expressis certum faciunt verbis, est tempus debiti legitimum (§. XXXI.). Tempus solutionis in fideicommisso libertatis determinant leges expressis verbis, illud, quo libertas peti potest *u*). Ergo in fideicommisso libertatis, tempus debiti legitimum est illud, quo libertas peti potest

#### §. XXXV.

In negotiis cum pupillo vel minore initis, quae in maioribus desiderant interpellationem, tempus solu-

*u*) I. 26. §. 1. & 3. & I. 53. pr.  
D. de Fideic. libert. I. 5. D.  
de minor. 25. ann. I. 15. C.

de fideic. libert. Dissentientibus satisfecit H AHNIVS de mora §. XXII.

solutionis leges expresse statuerunt, tempus, quoniam  
ta est obligatio *x*). Inde patet, tempus debiti legitimum,  
ratione minorum in negotiis, quae ad moram alias exigunt, interpellationem, esse tempus,  
quo nata est obligatio.

### §. XXXVI.

Quilibet facile videt, tempus debiti legitimum,  
minoribus maximo esse beneficio, & quidem, ob aetatem, in qua fragile & infirmum, multisque captio-  
nibus suppositum est, consilium, tributo *y*). Ergo  
huius beneficij causa est personae conditio. Cum au-  
tem cessante conditione personae, quae beneficio lo-  
cum facit, cesse quoque beneficium ipsum *z*; &  
infirmitas consilii in minoribus cesse, volentibus id  
legibus, quam primum annum aetatis XXV. excesse-  
runt, sequitur vriue, anno vigesimo quinto aetatis  
completo, beneficium hoc temporis legitimi debiti  
cessare *a*).

### C 3

### §. XXXVII.

- |  |  |
|--|--|
| <i>x</i> ) l. 26. §. 1. D. fideic. libert. | <i>y</i> ) L. 1. pr. D. de Min. 25. ann.   |
| l. 3. C. in quib. cauf. in integr.         | <i>z</i> ) l. 66. ff. de Reg. Iur.         |
| ref. nec. non est. l. 87. §. 1.            | <i>a</i> ) l. 87. §. 1. ff. de Leg. 2. vi- |
| ff. de Leg. 2; l. 5. C. de Act.            | de si lubet, HAHNIVM de                    |
| Emt. conf. COCCIVS de                      | mora §. XXIII.                             |
| mora th. 14.                               |  |

## §. XXXVII.

Quia minorum iura tribuuntur etiam ecclesiis  
aliisque piis locis *b*) rebuspublicis & vniuersitatibus  
*c*) atque fisco *d*); non inepte quoque concluditur, &  
minoribus & ecclesiis aliisque piis locis, & rebuspu-  
blicis vniuersitatibusque, & fisco, idem tempus debi-  
ti legitimum competere.

## §. XXXVIII.

Legibus cautum est luculenter in furibus, pae-  
donibus abigeis, raptoribus aliquique iniustis rerum  
alienarum inuasoribus, & detentoribus quibus annu-  
merant quoque, qui dolo malo possidere desierunt,  
vt tempus solutionis incipiat a momento delicti per-  
petrati *e*); nec non in iis, qui alienos nummos fra-  
duleter in v̄sus suos conuertunt *f*). Ergo in perso-  
nis his recensitis tempus debiti legitimum est, omne  
tempus post momentum delicti commissi.

## §. XXXIX.

In dotis promissione, siue ab extraneo siue ab eo,  
cuius officium est dotis constitutio, facta, tempus so-  
lutio-

- b*) c. 1. & 5. X. de Rest. in in-  
tegr.
- c*) l. 4. C. Ex quib. cauf. maior.
- d*) l. 17. §. 5. l. 43. ff. de Vſtr.
- e*) l. 8. §. 1. C. de Cond. surtua  
pr. & §. 1. I. de Vi bon. rapt.
- f*) l. vlt. C. de Vi & Vi arm. l. 1.  
D. de Act. Emti.
- 58. D. de Adm. & peric. Tut.  
conf. HAHN l. c. §. 29.

Iutionis est biennium a die nuptiarum computandum, loquentibus clare legibus *g*). Ergo in datis promissione tempus debiti legitimum est biennium a die contracti matrimonii computandum.

### §. XL.

Cum debitor interpellandus non extet suo dolo vel culpa, neminemque, qui suo nomine possit interpellari, constituerit, adeoque nemo sit, cuius interpellandi copia detur, tempus illud, quo interpellandus sui copiam non fecit, est tempus solutionis legibus expressum *b*). Ergo si nemo est qui conueniatur, tempus debiti legitimum est, in quo copia eius, non fuit. Quae omnia docent, quod si propter absentiam reipublicae causa, vel quae auerti nequit, necessitatem, non extet, qui conueniatur, tempus debiti legitimum non esse, per quod interpellari vel conueniri non potuit debitor.

### §. XLI.

Tutores vel curatores pecunias pupilli vel minoris, cum commode possunt, elocare *i*) a legibus iubentur.

*g*) l. 31. §. 2. C. de Iure Dotium. *b*) l. 23. pr. & §. 1. D. de Usu  
Inde adparet frustis H A H  
N I V M §. 27. distingue re in-  
ter vxorem & extraneum, qui  
totein promittit.  
H A H  
N I V M §. 27. p. 9.  
*i*) l. 7. §. 3. D. Admin. & pe-  
ric. Tut.

bentur. Quae iussio expressa est legum praescriptio temporis solutionis (§. XXIX.). Ergo tempus hoc est tempus debiti legitimū. Ergo tempus debiti legitimū ratione elocationis pecuniae pupilli vel minoris est illud, quod commodam & vtilem eius elocandae occasionem praebet.

### §. XLII.

Tempus debiti per conuentione m̄ constitutum est tempus debiti legitimū (§. XXXII.). Ergo dies vel tempus euentus conditionis praestationi solutionis praefixum, est tempus debiti legitimū k). Quia vero dies vel est certus vel incertus legesque in hoc casu sine distinctione loquuntur; constat & certum & incertum diem posse legitimū debiti tempus esse.

### §. XLIII.

Tempus euentus conditionis tanquam tempus debiti legitimū esse praefixum debet, praestationi solutionis (§. XLII.). e. gr. vendo tibi equum pro centum thaleris ita quidem ut tu mihi solvas eosdem si Titius consul factus fuerit, & quidem eo die quo consul fuit factus. Aut mutuo tibi do mille florenos, quos tu mihi restituere spondes, eo die februarii mensis, anni proximi, quo pluet. Ergo tempus solutionis

nis

k) 1. 12. C. de Contrah. & committ. Stipul. 1. 2. C. de Iure Emph.

nis tantum sub conditione & sine mentione ipsius temporis quo enenit conditio determinatum, tempus debiti legitimum non est, sed demum existente conditione incipit deberi. Inde concludas, quod si restitucionem pecuniae creditae, Titius creditor a Caiio debitore sibi promitti curauerit, si Sempronia nuperit Iauoleno, euentus conditionis tempus debiti legitimum esse non possit.

## §. XLIV.

Dies vel tempus existentis conditionis - debet praefigi ipsi satisfactionis praestationi (§. XLII.). Igitur quando sola validitas satisfactionis promissae tantummodo collocatur in euentu conditionis vel diei; euentus, tempus debiti legitimum esse nequit.

## §. XLV.

Itaque (per §. XLIII. & XLV.) conditionis existentia tunc erit tempus debiti legitimum, si *actus ipse* satisfactionis praestandae promittitur, eo tempore, *exercendus*, quo forte extiterit conditio. Ex quibus non minus sequitur; & solutione & praestationis ipsius actu ipso in tempus conditionis existentis simul promissis; conditionis euentum esse tempus debiti legitimum.

## §. XLVI.

Dantur quaedam conuentiones, in quibus mutuae adsunt praestationes, quarum alteram impletam

D alte-

alterius impletio sequi debet, & in quibus praestatio satisfactionis fit eum in finem, ut ab altera parte quoque adimpleatur, quod est promissum. Eiusmodi conventio est emtio venditio, quae perfecta quidem est consensu vtriusque partis interposito. Cum vero venditor velit habere pretium, consummatione, quae vocatur, contractus a sua parte opus est, quae consistit in traditione eius, quod vendidit. Cum enim venditor, loco rei, quam vendidit, habere velit certam pecuniae summam; sequitur etiam, ut, tradens rem venditam, velit expleri suum desiderium, quod fit praestatione solutionis ab emtore.

### §. XLVII.

Si venditor rem tradens venditam loco rei venditae velit habere pretium (§. XLVI.) consequens est, venditorem rem venditam tradentem, velle ut pretium traditionem rei venditae nullo interiecto temporis interuallo sequatur. Quia etenim pretium locum rei venditae tenere debet, res vero, vendoris permanisset sine interruptione si non alienasset, concludendum est, venditorem traditione rei venditae velle continuare suam possessionem in pretio, loco rei venditae, quod fieri non potest, nisi traditionem rei solutio pretii nexus indissolubili excipiat. Ergo verum est, quod venditor tradens rem venditam velit,

lit, vt premium sine ulteriori temporis interullo, traditionem rei sequatur.

### §. XLVIII.

Quia partem naturae constituit emtionis venditionis solutio pretii, quae traditionem rei venditae illico sequi deber (**§. XLVII.**) sequitur, tempus solutionis respectu emtoris per naturam conuentionis determinatum esse ita, vt sequatur ea traditionem rei venditae. Cum porro eadem ratio adsit quoad venditoris solutionem, quia emtor loco pretii habere vult, rem emtam, soluens illud; prono fluit alueo; tempus solutionis in venditore, per naturam conuentio-  
nis determinatum esse, vt solutio pretii sit coniuncta cum traditione rei venditae **1)**

### §. XLIX.

Quum tempus solutionis per naturam conuen-  
tionis determinatum sit debiti tempus legitimum (**§. XXXIII.**) tempus autem solutionis in emtione venditione per naturam conuentio-  
nis determinetur illud, quod ab uno contrahentium contractus sit im-  
pletus (**§. XLVIII.**), in emtione venditione tempus erit legitimum debiti, tempus ab una parte contra-  
ctus impleti.

D 2

§. L.

**1)** I. 5. & 13. C. I. 13. D. de act. Emt. I. 2. C. & I. 16. ff. de Vsur.

## §. L.

Tempus debiti in emtione venditione fit legitimum, per naturam conuentionis, quae illud determinat (§. XLIX.). Determinatur autem tempus solutionis in emtione venditione per naturam conuentionis, quia mutuae adiunt praestationes, seu quia est contractus bilateralis (§. XLVI.). Ergo in omnibus contractibus bilateralibus tempus debiti per naturam conuentionis determinatur. Contractus bilaterales sunt omnes eiusdem naturae. Ergo tempus debiti in omnibus his contractibus debet esse idem. Ergo tempus debiti legitimum in contractibus bilateralibus est tempus implementi contractus ab vna parte *m*).

## §. LI.

Silentium legum nobis non obstat. Cum enim leges contractus bilaterales adprobarent, non potuerunt non etiam eorum naturam adprobasse, quae determinat tempus debiti; quod per naturam conuentio-  
nis determinatum fit legitimum, adprobantibus na-  
turam contractus ipsis legibus (§. XXXII. XXXIII.). Ergo ad constitutionem temporis debiti legitimi, in  
iis contractibus, quorum natura tempus debiti deter-  
minatur, sufficit adprobatio legum ipsius conuentio-  
nis. Igitur non opus est, vt tempus, in his conuen-  
tioni-

*m*) Conf. l. 5. §. 1, 2. D. de Praefcr. verb.

tionibus, debiti a legibus expresse praescribatur. Ergo silentium legum nobis non obstat.

§. LII.

Mora consistit in dilatione debiti frustratoria (§. XIV.) dilatio debiti in cessatione debiti in tempore legitimo (§. XII.); debitum vero in solutione ad quam obligamur (§. X.). Ergo mora consistit in cessatione frustratoria solutionis in tempore legitimo.

§. LIII.

In libertatis fideicommisso tempus debiti legitimum est, quo peti potest libertas (§. XXXIV.). Ergo in libertatis fideicommisso mora est cessatione solutionis ad quam obligamur frustratoria in illo tempore quo libertas petipotuit.

§. LIV.

Quoniam in negotiis quae alias in maioribus ad moram requirunt interpellationem, cum pupillis, minoribus, ecclesiis, aliis piis locis, rebus publicis universitatibus & fisco initis, tempus debiti legitimum est, quo nata est obligatio (§. XXXV. & XXXVII.); ratione horum omnium cessatione frustratoria solutionis ad quam obligamur in tempore, quo nata est obligatio, erit mora.

§. LV.

Ob eandem itaque rationem mora est: 1) cessatione frustratoria solutionis, in furibus praedonibus,

bigeis, raptoribus aliisque rerum alienarum inuasoribus & detentoribus iniustis, in suos usus conuententibus fraudulenter alienos nummos, *in tempore a momento delicti commissi* (§. XXXVIII.) 2) *in promissione dotis, cessatio solutionis per biennium a die contracti matrimonii computandum.* (§. XXXIX.) 3) *Cessatio solutionis in tempore, quo interpellari quis non potuit vbi nemo est qui conueniatur* (§. XL.) 4) *cessatio solutionis frustratoria ratione tutorum vel curatorum, pecunias pupilli vel minoris non elocantium, in tempore, quo prima occasio elocandi utiliter & commode pecuniam fuit.* (§. XLI.) 5) *cessatio solutionis, vbi solutioni dies vel conditio praefixa est, in tempore existentis diei vel impletiae conditionis.* (§. XLII.) 6) *ratione tandem contractuum, in quibus mutuae obligationes sunt, cessatio solutionis in tempore impleti ab una parte contractus.* (§. XLVI. seqq.).

## §. LVI.

Diuiditur mora, in moram ex re, & in moram ex persona n). Mora ex re fit in tempore debiti a legibus praescripto sine interpellatione o). Ea mo-

rae

- |                                   |   |   |
|-----------------------------------|---|---|
| n) I. 32. D. de Vsur. l. 8. §. 1. | o) l. 3. C. in quib. cauf. rest. in<br>D. de cond. furt. l. 26. §. 1. | integ. nec. non est. l. vlt. C.<br>D. de fideic. libert. l. 23. D.<br>de Cond. ob turp. cauf. l. 8.<br>de Vsur. l. 3. §. 2. ff. de Ad.<br>§. 1. D. de Cond. furtiva.<br>vel trans. leg. |
|-----------------------------------|---|---|

rae species, quam in paragraphis antecedentibus enucleauimus, sit in tempore debiti a legibus praescripto citra omnem interpellationem. Ergo mora hactenus a nobis definita est mora ex re.

§. LVII.

Tempus quo cum effectu creditor'a debitoresolutionem petere potest vocatur in materia interpellationis tempus iustum. Locus in quo creditor a debitore solutionem petere potest, vocatur locus iustus. Interpellatio est admonitio a creditore debitori de praeestatione eius quod debetur, facta iusto tempore & loco p).

§. LVIII.

Tempus debiti legitimum est, quod solutioni a legibus est praefixum. Tempus vero interpellationis est praefixum solutioni a legibus; igitur tempus interpellationis est tempus debiti legitimum q).

§. LIX.

Si tempus interpellationis sit tempus debiti legitimum (§. LVIII.); patet cessationem solutionis ad quam obligamus in tempore interpellationis frustratoriam, moram esse r).

§. LX.

- p) I. 49. D. de V. O. I. 113. D. & STRYRIVM de purgatione morae c. i. §. 8. lq.  
de Verb. Signif. conf. SWAE-  
NIVM de mora c. 2. §. 8. q) I. 32. pr. D. de Usuris.  
r) leg. cit.

§. LX.

Cum leges igitur ad moram requirant interpellationem; mora sine interpellatione non erit, nisi vbi leges moram sine interpellatione constitui volunt. Nolunt vero leges interpellationem in mora, quae dicitur ex re; Ergo mora ex re sine interpellatione fieri debet.

§. LXI.

Mora ex re sine interpellatione fieri debet (§. LX.). Ergo vbi tempus solutionis sine interpellatione a legibus constitutum est, ibi hoc tempus inuito debitor, interpellatione praeuerti & anticipari nequit.

§. LXII.

Creditor est ille, qui ab altero solutionem petere potest (§. X.), solutio autem est quaevis satisfactio alteri praestanda (§. X.). Ille qui solutionem alteri praestare tenetur acceptationem solutionis ab altero adeoque satisfactionis petere potest praestationem; ergo etiam solutionem (§. XX.). Hoc igitur respectu ille, qui solutionem alteri praefat est quoque creditor. Hic creditor offerens legitime (§. XX.) solutionem admonet alterum de praestatione satisfactionis, nempe acceptationis, ergo eum interpellat (§. XVII.). Referenda igitur oblatio eius, quod debe-

<sup>s)</sup> l. 9. ff. Solut. matr. l. 30. 39. 72. D. de Solut.

debetur ad interpellationem est, modo fiat legitime  
(§. XX.).

### §. LXIII.

Oblatio debiti est interpellatio (§. LXII.). Ergo per oblationem debiti mora contrahi potest; si ille, cui offertur solutio debiti legitime, acceptare frustratorie eam nolit <sup>s</sup>).

### §. LXIV.

Cum *mora ex re* tantum, sine interpellatione contrahatur (§. LX.); sequitur in omnibus reliquis debitibus, quae sub *mora ex re* non enumerauimus, tempus legitimum esse tempus interpellationis, adeoque in iisdem per solam interpellationem moram nasci.

### §. LXV.

Creditor libellum vel parti offerens vel iudici competenti, qui illum debitori insinuauit, admonet alterum debiti soluendi; ergo interpellat eundem. Ergo per iudicialem interpellationem mora contrahi potest <sup>t</sup>).

### §. LXVI.

Quoniam interpellatio est admonitio debiti solvendi, quae etiam extra iudicium fieri potest, interpellata-

<sup>s</sup>) l. 9. ff. Solut. matr. l. 30. 39. <sup>t</sup>) l. 22. ff. de Reb. Cred.

72. D. de Solut.

pellationem extra iudicialem tempus debiti legitimum constituere adeoque moram ex ea nasci, quis est, qui dubitet *u*). Imo quia interpellatio eo tendit, ut debitori in memoriam reuocetur debitum; isque doceatur, creditorem velle sibi fieri nunc ipsam solutionis praestationem; hoc vero per vnicam interpellationem obtineri potest, per vnicam quoque admonitionem, seu interpellationem debitorem in mora constitui, dubitandum non est *x*).

## §. LXVII.

Ad interpellationem requiritur ut admoneatur debitor debiti soluendi, iusto tempore & loco. Quia vero fieri id etiam potest generali admonitione, ut: *cura* vt mihi satisficias, vel: *pecunia, quam habes, mea indigeo*, vel: *redde quod mibi debes* *y*); admonitionem generalem dibiti soluendi interpellationem esse, sequitur. Vnde, generali admonitione debiti soluendi, moram fieri posse constat *z*).

## §. LXVIII.

- |   |   |
|---|---|
| <i>u</i> ) l. 23. §. 1. l. 61. 122. §. 3. | D. de Solut. S T R Y K I. c.              |
| D. de Verb. Oblig. l. 87. D.              | c. 1. §. 17.                              |
| de Leg. 2.                                | <i>y</i> ) IDEM §. 14. l. 4. D. de Pir.   |
| <i>x</i> ) l. 5. D. Quod Vi & Clam.       | gnōr. Act.                                |
| l. 39. §. vlt. D. de leg. 1. l. 24.       | <i>z</i> ) l. 25. §. 8. D. de adquir. he- |
| D. Quando dies legati l. 72.              | red. l. 115. & 118. D. de Leg. 1.         |

## §. LXVIII.

Admonitio in interpellatione debet fieri 1) *a creditore* (§. LVII.). Ergo interpellare debet ipse creditor vel eius mandato alius a). 2) *debitori ipsi b).* Ergo interpellatis seruis vel domesticis, mora non fit c).

## §. LXIX.

Tempus interpellationis est tempus debiti legitimum (§. LVIII.). Ergo cessatio in tempore interpellationis frustratoria est mora. Quae cum in legibus vocetur mora ex persona d) definitio iam facilis negotio conficitur hunc in modum, quod *mora ex persona sit cessatio debiti frustratoria in tempore interpellationis.*

## §. LXX.

Requiritur ad moram ex persona, cessatio in tempore interpellationis, & quidem frustratoria. Itaque debitore tempore interpellationis sine culpa vel dolo non soluente, mora non erit. Concedendum igitur eiusmodi debitori post interpellationem tantum temporis spatium, quo possit ad soluendum se

E 2 in-

- a) l. 24. D. de Vfur.
- b) l. 32. D. eod.
- c) l. cit.
- d) l. 23. D. l. 32. D. eod. l. 72. D. de Solut. Cui placet materiam interpellationis nosse

paulo penitus, ille perlegat dissertationem erudite conscriptam a F R I D E R I C O H O L S T I O, de Iure interpellationum. Aurel. 1684.

instruere, quantum id bono viro videbitur sufficiens, id quod iudex aestimabit e). Quia vero huius rei diadicatio & decisio ex circumstantiis petenda, adeoque difficilis est non difficulter intelligitur Marcianus f) dicens: *mora fieri intelligitur non ex re, sed ex persona, id est, si interpellatus oportuno loco non soluerit, quod apud iudicem examinabitur.* Nam, ut ē) Pomponius libro duodecimo epistolarum scripsit, difficilis est huius rei definitio. Diuus quoquo Pius Tullio Balbo rescripsit, an mora facta intelligatur, neque constitutione villa, neque iuris auctorum quaestione decidi posse, cum sit magis facti, quam iuris.

### §. LXXI.

Haec de morae notione dixisse sufficient, alio tempore morae effectus & purgationem, Deo volente persequemur.

e) l. i. §. 8. D. ad Leg. Falcid. Iur. deliber.  
l. 137. D. de V. O. l. i. D. de g) l. 32. pr. D. de Vsur.

### Corrigenda.

§. XXVII. lin. 4. nocendi, pro nocensi. §. XXXI. lin. 1. quod, pro quo.  
§. XXXVI. lin. 2. minoribus, pro minoribut. §. XL. lin. 2. lege: culpa.  
§. XLIX. lin. 1. lege: conventionis & lin. 5. quo, pro: quod. §. LII.  
lin. 5. verbo: solutionis, adde: ad quam obligamur. §. LIX. linea, 3. le-  
ge: obligamur.



**ULB Halle**  
006 789 96X

3



vDn8





G. 20. num. 18. 017.

1745, 8 13

# NOTIONEM IVRIDICAM MORAE

INCLVTI  
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
IN  
VNIVERSITATE GEORGIA AVGVSTA  
PVBLICE DEFENDENT  
PRAESES  
CHRISTIAN. FRID. GEORG.  
MEISTERVS D.

ET  
IOANNES HENRICVS HAVWELMEYER  
HAM.,  
AVCTOR RESPONDENS  
cI CI CC XXXXV. DIE IV. DECEMBRIS.



KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

GOTTINGAE  
TYPIS IOANN. FRIDER. HAGERI,